



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno 429. Usque Ad Annum 483

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1759

VD18 90117816

§. 23. Epistolæ Hilari in Causa S. Mamerti Viennensis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66052](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66052)

cilli Auctoritas intercedat, alienare non possint. Leontius Papæ Libellum obtulerat, quo aliquas Ecclesiæ Arelatensis Parochias, a S. Hilario Prædecessore suo, alienatas, repetebat. At Papa hujus rei judicium Galliarum Episcopis reliquit.

Sæculum V.
A.C. 463.

§. XXIII.

Epistolæ Hilari in Causa S. Mamerti Viennensis.

Hilario Papæ relatum, Mamertum, Episcopum Viennensem, Ecclesiæ Diensi invito populo, & vi adhibita Episcopum ordinasse; præterea in Ecclesiæ Romanæ tabulis invenit, Ecclesiam Diensem in illarum numero non recenferi, quæ Ecclesiæ Viennensi subjicerentur. Nam secundum S. Leonis dispositionem illi Ecclesiæ quatuor non plures aliæ, nimirum Valentia, Tarentasia, Geneva, & Gratianopolis erant subordinatæ. Hilarius Papa litteris ad Leontium Arelatensem datis conquestus, quod de hoc molimine se non edocuisset, ait: *banc causam examina in Concilio, quod juxta nostra mandata singulis annis agi oportet, & cui tu præsis. Hujus ordinationis rationem a Mamerto exige, & omnia communi epistola ad nos perscribe.* Hæc epistola 10. Octobr. anno 463. Basilio Consule, data. Papa ad Episcopos quoque Provinciarum Viennensis, Lugdunensis, Narbonensis, & Al-

Sup. lib.

XXVII.

§. 49.

Leo ep. 50.

al. 109.

ep. 9. to. 4.

Conc. pag.

1043.

Ep. 10.

E e e 5

pium

Sæculum V.
A.C. 464. pium scripsit, Episcopo, cui nomen An-
tonius, litteras ferente. Hortatur, ut
facti hujus, & similium audaciam reprimant,
& frequentius, ut expediret, Synodum convocarent.

Antonius Responsum Concilii Galliani, in quo Episcopi viginti numerabantur, Romam detulit; id enim ex epistola, ad ipsos vigesima quarta Febr. anni sequentis 464. a Pontifice data, apparet. Dicit, oportuisse, ut Episcopus Viennensis, sicut & Diensis, quem contra Canones ordinasset, deponerentur. Nihilominus, ne Pax Ecclesiarum turbaretur, mavult indulgere, & alicui ex ipsis Episcopo, Verano, committit curam, ut tanquam Legatus a Sacra Sede ad Mamerum Viennensem se conferat, moneatque, ne impofterum tale quidquam moliat, secus Jurisdictione in quatuor Ecclesias Provinciæ suæ privandum, eamque in Episcopum Arelatensem transferendam. Ceterum jubet, ut ordinatio Episcopi Diensis a Leontio Episcopo Arelatensi, si ipsi visum fuerit, confirmetur.

§. XXIV.

Concilium Romanum alterum.

ep. I. Tarr.
to. 4. Conc.
p. 1033. **A**scanius Episcopus Tarraconensis, & omnes Suffraganei ejus, datis ad Hilari-
larum Papam epistolis, querebantur, quod
Silvanus, Episcopus Calaguriensis Diocesis,